

*que, quae facere mecum possis.* Abduxitque eum statim, secumque habuit, et sumtum ministravit, et philosophiam docuit, et esse eum fecit, quantus postea fuit.

4. Hoc et docenti, et discenti, debet esse propositum: ut ille prodesse velit, hic proficere. Qui ad philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni ferat, aut sanior domum redeat, aut sanabilior. — Aliquid praecipientium vitio peccatur, qui nos docent disputare, non vivere: aliquid discentium, qui propositum afferunt ad praeceptores suos, non animum excolendi, sed ingenium. — Haec nobis praecipere Attalum memini, quum scholam ejus obsideremus, et primi veniremus, et novissimi exiremus.

Perditae luxuriae Athenis adolescens Polemo, neque illecebris ejus tantummodo, sed etiam ipsa infamia, gaudens, quum e convivio, non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domumque rediens, Xenocratis philosophi patentem januam vidisset, vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam ejus intravit: nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, ut clarissimum eloquium, et prudentissima praecepta temulentiae lasciviis elevaret. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omisssaque re, quam disserebat, de modestia ac temperantia loqui coepit. Cujus gravitate sermonis respiscere coactus Polemo, primum coronam, capite detractam, projecit; paullo post brachium intra pallium reduxit; procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit: ad ultimum totam luxuriam exiit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus philosophus evasit. Peregrinatus est hujus animus in nequitia, non habitavit.